

2

Handwritten text inside a yellow octagonal label, possibly including a name or number.



Ag 324

5 Id 472 / K


~~S~~  
S

1 = Lb 1455.


2 = Id 472




Christian Julius Bokelmann  
Annō 1725.  
12. May.

























Handwritten text in a circular stamp, possibly a library or archival mark, located in the lower right quadrant of the page. The text is faint and difficult to decipher but appears to contain a date and a name or location.

REFORMA

TIO ECCLESIAE CO  
RONENSIS AC TO  
TIVS BARCEN  
SIS PROVIN  
CIAE.

CVM PRAEFATIONE  
PHILIPPI MELAN  
THON.

1913 J 1289  
VVITTEMBERGAE

ANNO. M. D. XLIII.

Ex  
Bibliotheca  
Ministerii  
Cellenfis

UNIVERSITÄTS- UND LANDESBIBLIOTHEK DER  
UNIVERSITÄT  
MAGDEBURG  
MAGDEBURG  
MAGDEBURG

PHILIPPVS MELAN: S.D.

**I**NDE vsq; ab initio postquã exorta sũt Imperia, gentes omnes inter se ferro grassatæ sunt, & subinde mutationes Regnorum tristes & luctuosæ factæ sunt. Primũ Babylonij, postea Assyrij, deinde Persæ regnarunt. Hos secuti sunt Græci, Deinde Romani, mox Parthi, deinde Sarraceni seu Arabum latrones, mox Turci procul ex Caucasi iugis educti. Inter hos gentium tumultus, & inter has Regnorum ruinas, res ipsa ostendit, semper duriter quassatam esse Dei Ecclesiam; Nam vt bella & urbium excidia, fatales poenæ sunt scelerum, idolo maniarum, libidinum, crudelitatum inter gentes, ita & Ecclesiæ delicta puniunt. Sed illud est pijs diligenter considerandum. Cum bella pariter grassentur in impias gentes & Ecclesiam, Epicurei existimant inane nomen esse Ecclesiam dei, nec vllam partem generis humani deo curæ esse. Sed nos, qui testimonia de Ecclesia omnium temporum certo consilio dei tradita, inde vsq; ab initio in scriptis prophetiis tenemus, discamus ex superioribus exemplis, deum semper reliquias sibi, vt ita dicam excerptas ex prophana multitudo seruasse & per has instaurasse & Ecclesiã, & doctrinam, Sicut in diluuió seruauit familiam No



hæ, vt instaurandæ Ecclesiæ seminaria  
essent. Sic cum gens Iudaica abduceretur  
in Chaldeam, seruati Daniel, Zacharias &  
magna multitudo. Sed illud est deplorandū,  
non sæpe vetus flos restituitur post il-  
las insignes mutationes. Post diluuium quā-  
ta humani generis imbecillitas, quanta ter-  
ræ deformitas secuta est. Ita post reductam  
gentem Iudaicam ex Chaldea, nunquam  
splendor regni talis fuit, qualis fuit Dauidis  
aut Ezechiaë tempore. Discamus ergo has  
regnorum mutationes, pœnas esse peccato-  
rum, nosq; ad pœnitentiam & pietatem ex-  
citemus, vt deus mitiget pœnas & nos inter  
suas reliquias seruet. Maxime vero hi, qui  
in tali dissipatione Ecclesias gubernant, hanc  
consolationē populo pponāt, ne existimēt  
prorsus abiectū esse a deo vniuersum gen<sup>9</sup>  
humanum. Sed in his tantis malis portum  
aliquem prospiciant, cogitent exempla om-  
nium temporum, & calamitatum causas, &  
Ecclesiam luctantem inter has ærumnas, &  
cōfugiant ad vocem Euangelij, sciantq; ibi  
mansuram Ecclesiam, ibi deum adesse, ex-  
audire, seruare reliquias & coetum aliquē,  
vbi manet vox Euangelij. Sicut Christus  
clare testatus est Ioh. xv. Si māseritis in me,  
& verba mea māserint in vobis, quidquid  
volueritis, petetis, & fiet vobis. Nec profec-

cto fanis mentibus vlla consolatio alia pro  
poni potest, in qua acquiescant, præter hanc  
doctrinã, quæ ostendit hunc portum, videli  
cet Christum. Quid prodest polliceri Pan  
noniæ, quæ tot seculis pro nobis arma gessit,  
mutuam & debitam defensionẽ? Quid pro  
dest recitare fatalia excidia omnium Impe  
riorum? quid prodest deplorare commu  
nem humani generis conditionem, quod  
vniuersũ morti & varijs fortunæ casibus  
obnoxium est, vt dicitur in poemate:

Constat æterna positumq; lege est.

Vt constet genitũ nihil. Hæc nõ leuant  
luctum, sed portus monstrandus est, quis  
finis ærumnarum futurus sit, & an deo in  
tantis miserijs cure simus, sicut ipse inquit:  
Inuoca me in die tribulationis, & eripiam  
te, & glorificabis me. Pie igitur & sapien  
ter faciunt aliquæ in Pannonijs Ecclesiæ,  
quæ doctrinam curant repurgari, & vt po  
pulus in his miserijs consolationem firmã  
audiat, & ne in his nomen Christi deleatur.  
Nec vero dubitandũ est, deum in ijs locis ali  
quas sibi reliquias, aliquos cœtus, aliqua stu  
dia, aliquas scholas seruaturum esse, vbi so  
nat vox Euangelij sublati Idolis, & recte  
inuocatur deus, fiducia filij Mediatoris.  
Quare pñ vbiq; dent operã, vt Ecclesijs su  
is vera ratione consulant.

OMNIBVS PIIS LECTO-  
RIBVS GRATIA ET  
PAX CHRISTI  
MULTIPLI  
CETVR.

**Q** Vātis errorum tenebris hactenus per antichristum inuoluta fuerit christiana religio, & quā grauibus traditionibus hominū oppressum fuerit salutare præceptū Dei, præter infoelicem multorum experientiam, uarijs doctissimorum uirorum scriptis abundè testatum est, ac tanta librorum copia omnibus penè orbis angulis obtrusum, ut nemo posthac excusationem inscitiae suae possit prætexere, nisi qui obturauerit aures suas & occluserit oculos suos, ac prorsus noluerit intelligere, ut bene ageret. Quod sanè malum obstinata quadam opinione plerisque accidit, dum respiciunt consuetudinem, multitudinē aut impiam potestatem & per socordiam incerti futurorū presentem fortunam potius amplexantur: Minime autem

A iij

curant

curāt, ut primo diuersam partem au-  
diant, causam cognoscāt & intelligāt,  
ut postea rectius de ipso negotio iudicent,  
præsertim cum sciant à Christo  
prædicta tot scandala humanarū tra-  
ditionum, tanta signa & prodigia am-  
bitiosorum hypocritarum, ut in erro-  
rē inducātur (si fieri possit) etiam ele-  
cti. Sed impijs blasphemijs calumniā-  
tes ueritatē Dei, seducūt animos sim-  
plicium: & quo maiorem criminatio-  
nibus suis apud imperitos concilient  
autoritatem, omnia sub nomine pa-  
trum & ecclesiæ agunt. Quanquam  
ne nos quidem à sanctorum patrum  
institutis in ulla re dissensisse possunt  
arguere, si modò intelligāt primos pa-  
tres Apostolos, qui per euangelium  
Christi genuerunt nos in fide: & non  
posteriores apostatas, qui ab illorum  
doctrina, atq; ipsius ueræ ecclesiæ ordi-  
natione turpiter seducti defecerunt, et  
propria scientia inflati, nullo pietatis  
zelo, sed tantum spe lucri peregrinos  
cultus, ac formas cerimoniarum etiā  
gentibus ridendas, in ecclesiā sine uer-  
bo dei

bo dei inuenerunt. Quæ peruersa temeritas pseudoprophetarum usque adeo inualuit, ut nisi Deus per scripturam uerbum suum sacratissimum diffudisset in orbem, actum hucusque fuisset de religione. Quod cum pro nostra mediocritate accuratius animaduertemus, & emporium Coronense in ultimis partibus ecclesie occidentalis constitutum, assidue frequentari uideamus à Græcis, Bulgaris, Moldauis & Valachis transalpinis, ac alijs orientali ecclesie subiectis populis, qui tum multitudine altarium & simulachrorum, tum etiam ineptis quibusdam ceremonijs uehementer offenduntur, & uarijs disputationibus de religione pertinaciter nos oppugnant, adeo ut sepe quorundam animos à ueritate seducant, & suis contentionibus ea, quæ compertissima sunt, apud simplices in dubium uocent: ne fides Christiana propter nostras consuetudines male audiat apud eos, qui suos qualescunque ritus synceriores gloriantur, ac cæteris insolenter anteposunt, in quibusdam leuioribus cedere coacti

coacti sumus propter conscientiam.  
Tametsi præter has et alias iustissimas  
causas, in tam præsentibus periculis  
temporum minime expectandos duxi-  
mus quosdam nimium secure dormi-  
tantes cum fatuis uirginibus, qui pro  
cul dubio frustra quærent oleum post  
quam clausa fuerit ianua: Sed remota  
omni ambitione, spretis imperiorum  
obtrectionibus, respectu solius ho-  
noris ac timoris Dei, per gratiam eius  
effecimus, ut status religionis apud  
nos per uarias superstitiones corrup-  
tissimus, redigeretur in formam bo-  
nis ingenijs non aspernandam. Qua  
quidem in re diligentissime cautum est,  
ne quid noui sine testimonio scriptu-  
rarum, aut exemplo clarissimarum ur-  
bium in ulla parte susciperetur: neue  
in ijs, quæ sunt ad salutem necessaria,  
& habent manifestum mandatū Dei,  
aliqua committeretur negligētia. Ac  
ne offendantur quorundam ingenia,  
cum ab osoribus ueritatis hæc omnia  
interpretari audiunt in deteriore par-  
te, uisum est palam rationem redde-  
re ordina

re ordinationis ecclesiarum nostrarū,  
sperantes futurum, ut & cæteri pieta-  
tis studiosi, cognita ueritate, aliquam  
ex his capiant consolationē: cum præ-  
sertim intelligant, quod nō agitur ne-  
gotium de acquirendis, perituris facul-  
tatibus, aut similibus curis huius secu-  
li: sed de salute, aut æterna perditione  
animarū. Dominus excitet spiritus  
electorum suorum, & extrudat opera-  
rios suos in messem suam. Amen.

## DE DOCTRINA.

**Q**uoniam præcipua pars religio-  
nis uersatur circa doctrinā, do-  
ctrina autem constare debet ex uerbo  
Dei, prima cura fuit, ut per comunē  
ecclesiarum totius prouinciæ uisitatio-  
nem, ministrorum eruditio explorare-  
tur: & qui ad docendum non proba-  
rentur idonei, ab ecclesiasticis officiis  
in posterum abstinere: ne ipsorum  
ruditate & inertia populus neglectus,  
à uera pietate ad pristinas fordes rela-  
beretur. Satis enim omnibus constat,

¶ A v quàm

quàm horrenda naufragia in ecclesiã  
Dei sint inuecta, per eiusmodi mini-  
stros, qui omnis Christianæ doctrinæ  
expertes, fiducia solius ordinationis  
intruserunt se passim ecclesijs, in quibus  
præter cauponationem nihil boni  
unquã exercuerunt. Prospiciant itaque  
posthac omnes, qui officium docendi  
& sacramentorum administrandorũ  
sustinent, ut bonis ac probatis autori-  
bus, & certiore scripturarum cogniti-  
one sint instructi: nec tantum dicendo,  
sed etiam honeste uiuendo & facien-  
do doceant: & cum militent Deo, non  
implicent se negotijs secularibus, quibus  
suffocatur & infrugiferum reddi-  
tur uerbum Dei: sed potius curent sa-  
lutem publicã, ad quod munus nõ ig-  
norant se esse uocatos.

Rationẽ docendi cuiquam præscri-  
bere, non est nostri instituti, sed illam  
ex bonorũ autorum monumentis cen-  
semus petendam, ac obseruandum in  
concionibus, ut post textum euange-  
liorũ adiungatur simplex ac pura lo-  
corũ interpretatio: Sic tamen, ut præ-  
ter ma



ter manifestam scripturam & certissimum uerbum Dei concionantes nihil admisceant de suis, aut aliorum opinionibus: Nec prætermisissis maximis & ad salutem necessarijs mandatis Dei, populo tam imperiose inculcēt, quid ipsis bene placeat, aut bonum & utile uideatur, etiam si non sit ex Deo. Opiniones enim neminem saluabunt, mādātum uero Dei est uita æterna, Idcirco nullus ministrorum fretus ingenita loquacitate impræmeditatus accedat ad concionandū, & tempus inutilibus nugis consumat, ut tantum satisfaciat consuetudini, & uideatur aliquid fecisse, cum nihil fructu dignum præstiterit. Docentem præterea temperare conueniet à scurrilitate & mordacibus inuectiuis, quibus auditorum animi uehementer alienantur, & sæpe cum oratore argumentum orationis respuunt. Eam ob rem scopus concionanti propositus esse debet, ut apposite dicendo persuadeat, quod absque auditorum beneuolentia non facile obtinebitur. Cætera pro se quisque diligens ac fide

ac fidelis pastor hac in parte emenda-  
bit.

## DE BAPTISMATE.

Quod ad sacramentum baptisma-  
tis attinet, ordinationem V Vittenber-  
gensis secuti, propter astantes testes  
idiomate uernaculo pueros baptisa-  
mus, remotis tamē quibusdam super-  
stitionibus ad substantiam illius sacra-  
menti nihil pertinentibus, cum sint in-  
uenta hominum inutilia: & uerba pre-  
cationum sine adhibitis istiusmodi re-  
bus in fide pronuntiata, tantundē effi-  
ciunt. Infantes autem, quos constat  
tempore necessitatis ab obstetrice le-  
gitime baptisatos, ex omnium ecclesi-  
asticorum scriptorum sententia, con-  
stituimus minime āplius rebaptisan-  
dos, quoniam sacramentis nihil acce-  
dit neq; decedit, ex qualitate personæ  
ministrantis. Quin et Canones præci-  
piunt, non reiterandum esse baptisma  
etiam quod à laico aut pagano mini-  
stratur. Nec reiterandum baptisma,  
quod in fide sanctæ trinitatis ab here-  
ticis,

ticis, schismaticis & facinorosis præsta-  
tur. Item rebaptizare hereticum homi-  
nē, qui hæc sanctæ trinitatis signa sus-  
ceperit, quæ christiana tradidit disci-  
plina, omnino peccatum est: rebaptiza-  
re autem catholicum, immanissimum  
scelus. Quapropter neq; infantes neq;  
Valachi semel rite baptisati, sūt rebap-  
tisandi, quemadmodum neq; circunci-  
sionem licebat iterari. Verum etiam si  
circa pueros baptisatos & ecclesiæ præ-  
sentatos minister orationibus consue-  
tis utatur, tamen ab exorcismo prorsus  
abstinere debet. Nam cum infans  
per baptismum in necessitate (ut iam  
dictum est) legitime collatum, accepe-  
rit spiritum sanctum, nullus spiritus  
immundus restat ab eo expellendus.  
In profelytis deniq; adultis testes alie-  
nos non requirimus: quoniã prius rus-  
dimentis catechismi instructi, ore pro-  
prio fidē in baptisate debent confi-  
teri. Porro cū ceremoniæ cōsecratiōis  
præter uarios abusus nihil conferant  
aquæ baptismatis, nec per eas descen-  
dat in creaturam irrationalem & inas-  
nimatam

animatam uirtus spiritus facti, aquam  
consecratam à non consecrata nulla  
uirtute differre cognoscimus, ubi nō  
abhibetur in usum; sed cum iuxta or-  
dinationem Christi accedit uerbū ad  
elementum, tunc fit sacramentum.

### DE MISSA PRIVATA.

Quid de Missa priuata sit sentien-  
dum, clarissimorum uirorum scriptis  
iam olim lucidissime est explicatum,  
quorum autoritas si nondū alicui fa-  
uisfecit, scimus quod & nostræ propo-  
sitiones parum sint profuturæ: prop-  
ter aliquos tamē, qui uero pietatis ze-  
lo gloriam Christi querunt, nihil præ-  
termittere uoluimus. Ac primum ex  
uerbo Dei agnoscimus & confitemur  
quod institutioni coenæ domini indig-  
nissimum sit, ubi minister in Missa pri-  
uata, nullis alijs participantibus, præ-  
ter desiderium suum ex consuetudine  
sibi soli sumit ac retinet, quod pluri-  
bus porrigi conueniebat: quemadmo-  
dum uerba Christi manifeste testan-  
tur,

tur, Accipite, diuidite inter uos. Item  
Bibite ex hoc omnes. Et sicut Chri-  
stus minime baptisauit semetipsum,  
sed ab alio baptisatus est: ita minister  
non sibi soli, sed alijs ministrare sacra-  
mentum debet. Cum autem quæstus  
& sustentationis gratia in ordine ui-  
cis suæ etiam cum fastidio sibi sumit,  
sequitur consuetudinem sine testimo-  
nio sacrae scripturae introductam, per  
quam irritum facit præceptum Chri-  
sti, qui hanc Coenam instituit pro plu-  
ribus, maxime esurientibus & sitienci-  
bus iustitiam & remissionem peccato-  
rum. Nam qui nauseat super cibo illo  
si sumpserit, iudicium sibi manducat  
& bibit. Cæterum cum per doctrinã  
satanae Coenam domini finxerint esse  
sacrificium & opus bonum, quod ap-  
plicatum pro alijs ementibus, mereat-  
ur remissionem culpæ & poenæ, & a-  
pud Deum omnia possit, abominabi-  
lis impietas fuit, & prophanatio testa-  
menti Christi: in quo nihil illi præsta-  
mus, qui bonorum nostrorum non in-  
diget, sed ab ipso summum bonum in-  
remissi

*A. Præst.*

remissionem peccatorum per fidē accipimus, Ne igitur pestis istius absurdissimæ opinionis apud nos locum haberet, omnis opera est adhibita, ut Missa secundum institutionem Christi in legitimam & ab Apostolis obseruatā formam restitueretur, ne promissionibus obliteratis, & fide sacramenti extincta, per hypocritarum opus operatum turpissimæ nundinationes exercerentur. Siquidem ut nemo ex spectaculo baptismatis particeps illius fieri, aut pro alijs baptisari potest, ita neq; coena ab uno comedente percepta circumstantes spectatores potest saturos reddere, sed cuiuslibet opus est proprio cibo, &c.

### DE MISSA PVBLICA.

**I**N celebratione Missæ (quātum fieri potuit) secuti sumus ritum in euāgelicis ecclesijs usitatum, neq; ab illis temere declinandū iudicauimus, ne in singulis locis extarent diuersæ ordinationes, sicut hactenus cōtiguit, licet Christianæ concordiaē uix quicq; fuerit magis cōs

gis contrarium. Vnus enim Christus  
unus spiritus, unū baptisma, unus pa-  
ter omnium Deus. Et quoniam om-  
nes de uno pane, & de uno calice par-  
ticipare debent, exemplo antiquitatis  
hoc mysterium uno die minime cense-  
mus repetendū: sed una publica Mis-  
sa semel in die ecclesiæ quamuis nume-  
rosæ sufficiat. Quod si diuersitas ling-  
uarum obstitit (quoniā proprio cus-  
iuseq; nationis idiomate v̄ba Christi  
sūt p̄ferēda) nihil prohibet pro nume-  
ro linguarum, aut distantia locorum  
singulas missas celebrari. Sin autē de-  
fuerint communicantes, nullam mis-  
sam priuatā ullo modo permittimus  
celebrandam, propter horrendos ab-  
usus, quos per suos ministros callide  
nobis obtrusit satanas, de quibus in  
aliorum scriptis copiosissime est tra-  
ctatum. Cæterum in Missa peragen-  
da (preter impium Canonem & super-  
stitiosas quasdam gesticulationes cō-  
suetis cātionibus de tempore utimur,  
neq; in ijs quæ primitiua seruauit eccle-  
sia quicquā mutamus: nisi quod post

**B**

Epistolam interdum adhibemus can-  
tiones germanicas, interdum uero ali-  
as consuetas, si non repugnent scriptu-  
ræ. Loco Epistolæ aut Euangelij inte-  
grum caput Noui testamenti ad po-  
pulum legitur: deinde Symbolum fi-  
dei canitur lingua nostra, quandoq;  
etiam latina. Post præfationem cum  
suo cantico, præmissa breui cōmemo-  
ratione mortis domini & oratione do-  
minica, minister uersus ad populum  
uerba testamenti è scripto lingua uer-  
nacula super particulas panis iuxta  
numerum participantium præparatas,  
mox etiam super calicem & uinum, cla-  
rissima uoce pronunciat. Nam pridie  
illius diei, qua Coena domini peragen-  
da est, aut eo ipso die communicaturi  
se se ministro indicant, ut pro numero  
illorum sciat adhibere panem et uinum.  
Post consecrationem chorus incipit.  
Iesus Christus nostra salus, & similes  
cantiones uulgares, quas eousq; conti-  
nuat, donec omnes participantes fue-  
rint per ministros expediti, quorum  
unus stans in dextra parte altaris, cor-  
pus



pus porrigit, alter in sinistra ex ordine ministrat sanguinem (licet paucioribus ad communicationem accedentibus etiã unus minister sufficiat) Hæc omnia cum gratiarum actione & benedictione populi finiuntur.

## DE RELIQUIS CERIMONIIS.

Vbi uero tempore consueto defuerint cõmunicantes, nullum officium Missæ peragitur, sed loco illius primũ canitur psalmus germanicus : hinc post collectam additur aliqua pia Sequentia uel Tractus, cum lectione unius capituli ex nouo testamẽto, ac Symbolo fidei & oratione dominica : postquam continuãtur pro diuersis necessitatibus suffragia, expositis tamẽ semper & ubiq; creaturarũ inuocatiõibus, quibus beneficium Christi nõ medio criter est obscuratum. Vnus enim Deus, unus mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit semet ipsum precium redemptionis pro omnibus. In cæteris autẽ officijs hoc mo-

B ij

do est ordinatum, ut cum uideamus  
multiplicationem psalmorum ac alia-  
rum cantionum matutinarum ab ig-  
nauis ministris cum summo fastidio  
infructuose deblaterari: nec arces, in  
quibus per prouinciam tēpla sunt cō-  
stituta, hisce periculosis temporibus  
& uicinitate uariorum inimicorū, tu-  
tum sit in tenebris reserare, officiū ma-  
tutinum translatum est in tempus au-  
roræ, in quo post uernaculas cantio-  
nes & litanias, post ordinatos matuti-  
nos psalmos, lectiones & respōsoria ca-  
nitur Symbolū Athanasij, ac deinde  
germanicū canticum Te Deum lauda-  
mus: mox etiam Veni sancte spiritus,  
cui succedit publica contio. Prandio  
peracto iterum habetur contio in die-  
bus festis, antecedente & subsequente  
aliqua cantione uulgari. Cæteris ue-  
ro diebus per septimanam ante auro-  
ram præmissa cantiuncula fit concio  
familiaris pro institutione iuuentutis  
quæ clauditur cantione alicuius psal-  
mi uel decem præceptorum. Hic finis  
est duo uel tres psalmi per ordinē psal-  
teriij

terij quotidie decantantur, quos sequi-  
tur Responsorium de tempore cum  
Collecta &c. Post hæc publice præle-  
gitur caput ueteris testamenti cū suc-  
cincta interpretatione, in cuius fine  
rursus canitur à populo psalmus ali-  
quis germanicus. In uespertinis preci-  
bus nihil penitus est immutatum, præ-  
terq̄ quod quintus psalmus ad ædifica-  
tionem ecclesiæ canitur lingua uulga-  
ri. Peractis omnibus, puellulæ schola-  
sticæ aut aliquas cantiunculas in tem-  
plo decantant, aut quæstiones de præ-  
cipuis partibus catechismi mutuo pro-  
ponūt, & ad instructionem auditorū  
explicant. Interdum etiam aliquis mi-  
nistrorum rudimenta catechismi iu-  
uentuti pronunciat. Qualiter autem  
ceteri ritus iuxta uices temporum an-  
ni nobis obseruentur, è scriptis aliorū  
cuilibet licebit apertius cognoscere.

## DE CVRA AEGROTORVM.

**A** Udiores in concionibus sedulo  
sunt per ministros admonendi,  
ut sani

ut sani frequentius accedant ad parti-  
cipationem mensæ domini, nec ut ali-  
às, semper expectent finem. Quadra-  
gesimæ, in quo sine pietatis affectu tu-  
multuose omnes, quo tantum satisfac-  
ciant consuetudini, concurrunt: quod  
satis arguit eos non diiudicare corpus  
domini. Quod si alicui permisso Dei  
superuenerit iusta necessitas, etiam se-  
paratim in ædibus priuatis porrigi de-  
bet testamentum Christi, quia necessi-  
tas non habet legem. Cum autem cer-  
tum sit, dignitatem sacramentorū ob-  
scurari, ubi leuiore cerimonix eadem  
obseruationis necessitate proponun-  
tur, quæ utiq; nec facientes iuuant, ne-  
q; omittentibus nocent: statutum est,  
ut minister sine lucernis, strepitu cim-  
bali & habitu imperitos ad idololatri-  
am prouocante, comitantibus ijs qui  
uocauerunt, cum pane & calice se cō-  
ferat ad ædes ægroti, ibiq; post consue-  
tam consolationē more legitimo uer-  
ba consecrationis super panem & uin-  
um palam pronunciet, & ægroto  
utrumq; ministret: nec inanem mon-  
strationē

strationem panis, infirmo credat pro  
futuram, ubi res ipsa desideratur.  
Huiusmodi forma consecrationis etiam  
utimur, cum unus aut alter ex ius-  
ta causa communi participationi in-  
teresse non possunt, saltem obserues-  
tur, ut pro numero participantium ui-  
num fundatur in calicem, &c. Si quid  
obstiterit, quo minus ægrotus sacra-  
mentum percipere possit, à consecra-  
tione quidem abstinendum, uerbo au-  
tem Dei consolandus est & confortan-  
dus in fide. Nolumus insuper, ut mi-  
nister prætermisissis uerbis testamenti  
amplius utatur particulis iam olim in  
angulum contra institutionem Chris-  
ti repositis. Nam sicut in sacramen-  
tis nullus effectus sequitur, ubi desunt  
uerba, ita uerba nihil efficiunt, quoties  
res ipsa non existit in usu. Proinde  
non uidebatur tolerandum, ut ex  
superstitione maiorum eiusmodi par-  
ticulæ, post inutilem consecratio-  
nem, ad impietatem & scandalum  
uspiciam reponerentur, & illis ali-  
quis cultus exhiberetur. Siquidem

B iij

Christus dixit, Accipite, edite, &c. et  
nō dixit: Seponite, occludite ac deambu-  
latum circumferte. Scimus autem  
quod uerba testamenti, simul & bap-  
tismatis, ac absolutionis quodocunq;  
& ubicunq; debite pronuntiata plenif-  
simam uim habent, cū usus legitimus  
accedit.

### DE ABSOLVTIONE.

**P**Otestatem clauū à Christo chris-  
tianis relictam, ex euangelica ue-  
ritate nemini est obscurum, sed quod  
illa ad paucos, & eos plerunq; indoctis-  
simos fuit contracta, uarios errores in  
ecclesia peperit, dum confessores isti  
nonnunquam participantes cum furi-  
bus & prædonibus per absolutionem  
indiscriminatim se remittere iactaue-  
runt debita quorumuis debitoribus,  
quod non est uerisimile: Quoniā pec-  
catum non remittitur, nisi restituatur  
ablatum, nec iniuria remitti potest ab  
alio, quàm qui illam passus est: quem-  
admodum Christus præcipit. Recon-  
ciliare fratri tuo, qui habet aliquid ad-  
uersum te: quo placato, nihil opus est  
ulteriore

ulteriore absolutione ab eodem crimine: Nam si duo consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à patre qui est in cœlis. At si quis contra Deum deliquerit, & confitetur aduersum se iniustitiam suam domino, & si plenissime remissæ sunt iniquitates peccatorum illius, haud incongruum erit, conscientia grauatum quouis tempore aut loco sacris consolationibus subleuari, quod profecto ab insulis & scripturarum ignaris fieri non potest, quamuis isti uehementius urgeant hoc genus priuatae confessionis quam ullum grauissimum præceptum Dei. Verum cum nulli hominum licitum sit, aliquid tanquam ad salutem necessarium in ecclesia statuere extra uerbum Dei, & probatissimorum scriptorum testimonio constat, confessionem auricularem non esse ex Deo, sed ex hominibus, æquius cum illa fuerat agendum, nec necessariò semper alliganda communicationi, ubi promiscue plurimi simul confluentes, sine ulla instructione præcipitater absoluuntur. Cæ

B v

terum cū ibi de sua fide explorari, & in doctrina christiana institui debeāt imperiti, ministrorum erit, errantes docere, respondere sciscitantibus, ac rudiores examinare: quoniam docentem loqui oportet, discipulum uero auscultare: quod in hac parte præposterere semper fuit inuersum. Visum est igitur, ut ministri in scripturis non exercitati, nec ad prædicandum idonei, nunquam posthac ad confessionem audiendam admittantur, præsertim quod in confessore non inferior cognitio scripturarum requiritur, quam in concionatore. Concionator enim argumentum notum ac diligenter meditatum simpliciter proponit: Confessorem autem uarias & inauditas difficultates ex improviso propositas, infinitis rationibus ac testimonijs oportet dissoluere. Quod plerique parum aduertentes, leuissimum consolandarum conscientiarum officium putauerunt, & ad ineptissimos quosque ac prophanissimos ministros reiecerunt: Unde præter graues discordias tam pestifera



fera zizania seminata, tot scādala sūt  
exorta, ut linguis hominum enumera  
ri uix queant.

## DE EXCOMMUNI CATIONE.

Quandoquidē autoritate clauū inso  
lentius abusi sunt quidam pastores ec  
clesiarum, dum nonnunquam exclu  
dendos inconsiderate admiserunt, &  
ex causis leuissimis ac sine pudore uix  
recensendis à communione prohibue  
runt pauperes & innoxios: consultius  
uisum est, ut in posterum nullus à cō  
munionē arceatur nisi ex causis à di  
uo Paulo 1. Cor. v. & alibi enumeratis  
ita tamen, ut huic spiritali poenæ nul  
la poena ciuili per ecclesiae ministros  
admisceatur. Nec uero solius pastoris  
arbitrio, sed potius ecclesiae suffragiis  
excommunicari quis debet, iuxta or  
dinē à Christo nobis traditum, Math.  
xviij. ut, si frater qui crimē admisit, pri  
mo priuatī, secūdo adhibitis testibus,  
postremo etiā corā ecclesia admonitis  
resipiscere

resipiscere neglexerit, per publicum  
ecclesiæ ministrum consensu multitu-  
dinis proclametur excommunicatus,  
& deuitetur à cæteris tanquam ethnici-  
cus & publicanus, donec redierit ad  
meliorē frugē, & corā ecclesia rursus  
publice fuerit absolutus. Porro qui spi-  
ritū Dei nō habent, & præceptis eius  
propria tyrannide cōtumaciter aduer-  
santur, nunquam possunt autoritate  
soliū uocationis quemlibet ligare uel  
soluere. Qui enim iustificat impium,  
& qui condemnat innocentē, abomis-  
natio Dei sunt ambo. Pro. xvij. Ca-  
uendum igitur, ac circumspectius hac  
in parte agendum, quō per fragilitatē  
uel errorem semel aut iterum lapsi, in-  
super & obstinatius in peccatis perse-  
uerantes, antequam rite sunt admoni-  
ti, nequaquā excommunicentur, ut neq;  
præcipitanter & inuidiose per excom-  
municationem quæramus uindictam  
& incaute maledicamus benedictis,  
ac nobis ipsis cumulemus maledictio-  
nem. Nec etiam cuius cito manus im-  
ponamus, ut posthabitis fratribus læ-  
sis ac

sis ac nondū reconciliatis, remittamus  
debita debitoribus alienis, atq; cōmu-  
cemus peccatis illorum in nostrā per-  
ditionem.

## DE VOCATIONE.

Postquam ecclesiastica ordinatio  
cœpta est reformari, prospiciendū cu-  
rauimus, ut in futurum ubiq; seruen-  
tur idonei ministri, sine quorum ope-  
ra religionis administratio cōstare nō  
potest. Quisquis igitur moribus &  
eruditione primum non fuerit proba-  
tus, nec post probationē ex iustis cau-  
sis legitime uocatus, nunq̄ posthac ex  
nostratibus ordinetur, neq; ad consue-  
tum ministerium ecclesiæ suscipiatur.  
Nam iuxta sententiā Pauli, Diaconi  
primum probentur, postea ministrēt.  
Itaq; nullus amplius proprio impulsu  
curset ad ambiēdam ordinationem,  
& ineptissimus rediens obtrudat se ec-  
clesiis, & glorietur uocatū. Nam eius-  
modi inutiles & scādolosos ministros  
qui abutuntur nomine uocationis ad  
destruendum potius quam ad ædifi-  
candū

candum, penitus reijcimus. Contumaces uero, & obtrectatores euangelicæ ueritatis, qui similes argentario illo Ephesio curâ sustentationis nō religionis gerūt, & propter quæstū factiosas seditiones contra manifestam doctrinam Christi mouent, Quicq̃ missam priuatam pro pecuniâ ubicunq̃ locorum celebrare non uerentur, neq̃ suscipiantur ad ecclesiasticum ministerium, neq̃ suscepti retineantur. Satius est enim paucorum uentres negligere quàm multorum animas à ueritate seduci. Qui uero suis officijs recte funguntur, illis à suis parochis constitutū erit certum ac iustum stipendium, cū habitationibus ad necessitatē eorū nō minus commodis, quā antehac habuerunt. Nec erit conueniens, ut parochi ministros ecclesiæ utiles priuata uolūtate propter uanissimas causas à uocatione repellant, & instar stabulariorū quotannis mutent. Imo ne ipsi quidē pastores post confirmationem qua se priori uocationi obstrinxerunt, aliam præbendam supra aliam sibi cumulēt,  
cum

cum non modo pluribus officijs soli  
sufficere possint, uerum euidens argu-  
mentum præbeāt auariciæ radicis om-  
nium malorum, quæ a cognitione ue-  
ritatis longissime abducit, nec habet  
partem in regno Dei.

## DE OFFICIIS MINI- STRORVM.

Quod autem officium illorum futu-  
rum sit, ex obseruatione cerimoniarū  
cuiuslibet ecclesiæ facile constabit.  
Hoc tamen deinceps cōmune erit om-  
nibus ubicunq; in prouincia constitu-  
tis, ut parochus ipse singulis diebus,  
festis concionetur, & attendat ac sciat  
quid & quomodo cæteris diebus, etiā  
ipso absente in templo geratur, Non  
enim potest esse pastoris excusatio,  
si Lupus oues comedit, & pastor  
nescit. Minister uero per septima-  
nam in officio auroræ post consuetas  
vulgares cantiones lectionem uni-  
us Capituli, secundum ordinem No-  
ui testamēti populo publice prælegat,  
& in

& insigniores locos illius textus ad  
utilitatem auditorum interpretetur:  
nec quisq̄ excuset uoluntariam cessati  
onem paucitate auditorum. Catechis  
mus insuper quatuor temporibus an  
ni, loco prædicti capituli iuuentuti bre  
uiter declaretur, una quidem & eadē  
formula, ne frequens mutatio uerbo  
rū & interpretationis pueros ab edis  
cendo remoretur. In summo autem  
officio, ubi nulli præsto sunt commu  
nicantes, ministri cum scholasticis psal  
mos aliquot Latinos exercendæ iuuen  
tutis gratia decantabunt, quibus acce  
dent consueta suffragia, pro regibus,  
concordia ecclesie, pro peccatis & pro  
pace. Cæterū cū per hanc ordinationē  
satis uideatur remissum, ut in tanta pe  
nuria eruditorum parochi pro plurim  
bus unicum in pagis sustentent mini  
strum: ne quis calumnietur nos tantū  
grauamina abiēcisse, placuit ut in op  
pidis & maioribus pagis ex pristino  
iure duo officia quotidie peragantur.  
Quod si quis parochorum officiū suū  
præstare noluerit, aut non potuerit,  
loco

loco suo alterū ministrū cōducat. Sin autē idoneos ministros quærere neglexerit, oblatosue repudiauerit, aut inuenire, seu per tenuitatem prouentū seruare non poterit, totum onus ecclesiasticæ functionis recidet in ipsum. Neq; enim religioni cōsentaneum uisdetur, vt cōgregationes fidelium quouis modo debita fraudetur institutiōe

### DE SCHOLIS.

Quēadmodum in hortorum cultu requiritur assidua plantatio arbuscularum, ut antiquis deficientibus subinde in locum succedant recentiores, Sic ad cōseruationem religionis maiores nostri in primis necessariam iudicauerunt institutionem iuuentutis, quę ad communem rerum publ. utilitatē educata, ecclesiæ ministerijs rite præesse possit. Ideoque publicis impensis scholas passim constituerunt, quæ hacten<sup>9</sup> iniuria turbulentissimorum temporū, et negligentia inimicorum pietatis desolatae pene conciderunt. Ne itaque id malum apud nos lati<sup>9</sup> serperet, quates

C

nus fieri potuit diligenter prouisum  
est studiose iuuentuti, ut in ciuitate præ-  
ter cæteros a maioribus aut nunc pri-  
mum ordinatos præceptores qui pu-  
blicis stipendijs contenti, omne genus  
disciplinarum gratis docent, seruentur  
& alij lectores idonei, qui studia pieta-  
tis & liberales artes in vtraque lingua  
continuo profiteantur. Ad cuius rei  
foeliciores successum nunc quoque post  
quam multiplicatus est numerus stu-  
diosorum, monasterium vnum trans-  
mutatum est in publicum lectorium &  
scholam paruulorum. His accedit, quod  
in omnibus locis prouincię ludi literarij  
structura, rectoribus & stipendijs in de-  
bitam formam sunt restituti. Quod ex-  
emplum vtinam & alij quamplurimi  
perpenderent, & in tempore imitandum  
curarent, ne patria nostra inter medi-  
os hostes gratia Dei non incultissima,  
per incuriam magistratum, ad quos  
hoc officium pertinet, breui degene-  
ret in impiam barbariem. Quod ne ali-  
quando contingat, omnibus modis suc-  
currendum fuit: ac ne quicquam admi-  
niculorum



niculorum religioni conseruande, des-  
esset, etiam constructa est pro necessi-  
tate studiosorum publica bibliotheca,  
omnigenis bonis autoribus, theologis  
medicis, iurecōsultis ac cæteris politico-  
ribus pro nostra mediocritate referta.

### DE PAUPERIBVS.

Cum ex Deuteronomio constet, non  
defuturos pauperes de medio terræ,  
quorum inopiã nostra benedictione  
subleuandam Deus præcepit. Et Pro-  
pheta beatum appellat eum, qui intel-  
ligit super egenum & pauperem &c.  
Insuper & Christus in euangelio totis  
es inculcat misericordiam, per quam  
adeo firmiter se nobis obstrinxit, ut ta-  
lem sine dubio ipsum simus expertu-  
ri, quales nos gesserimus erga paupe-  
res, quos suo loco nobis in terris reli-  
quit. Quicquid enim bonis his feceris-  
mus, ille sibi acceptum vendicat et glo-  
riatur, & centuplum se repensurū pro-  
mittit in tempore hoc, & in seculo vēs-  
turo vitam æternam, Alienum à pros-  
fessione nostrã uisum est, ut iuxta con-

C ij

ſuetudinem patrum, homines morbo  
ſenio, aut paupertate conſecti, in frigo  
re, pluuiã & æſtu per biuia proſtrati,  
& ſtipem cum gemitu emendicare cu  
pientes, inhumaniter negligenterur.  
Sed illis ultra conſuetam aliorum pau  
perum in tribus hoſpitalibus ſuſtenta  
tionem, publice proſpectum eſt in ci  
uitate, vt omnes habeant tolerabilem  
victum. Ad quod pietatis opus exe  
quendum, electi ſunt duo prouidi &  
conſtantes uiri è ſenatu, ac duo ex cen  
tumuiris, qui ſingulis ſeptimanis ſecũ  
dum facultates prouentuum noſtrati  
bus pauperibus neceſſaria distribuũt.  
Cæterum cum priuatorum largitio  
nes in tanta rerum penuria non ſuffi  
ciant, ad eam diſpenſationem transla  
tum eſt, quicquid inutiliter in res non  
neceſſarias prius eſt erogatum. Ac ſi  
verum fateri uolumus, commodius eſ  
ſet omnibus rebus pub. ut prouentus  
inutilium fraternitatum, & impiarum  
fundationum, item ſtulta legata quo  
rundam teſtamentorum, nõnullas eti  
am uacuatorum monaſteriorum poſſeſ  
ſiones

siones, cum impensis opificum ad meridianas cæcorū lucernas inaniter profusis, aut si quid uspiam extat simile, ad eiusmodi sustentationem pauperū conuerterent: quoniā foeneratur Deo, qui miseretur pauperis & retributionem eius compensabit ei. Pro. xix.

### DE PVPILLIS.

Post prouisionem pauperum, proxima cura debetur pupillis, quos Deus in pluribus locis ueteris testamenti diligentissime commendat magistratibus, & sese illorum iudicē ac protectorem pollicetur futurum. Cum autem compertum sit, in bonis pupillorum varias iniquitates sæpenumero committi, secundum æquissimam formam iuris illis duximus succurrendū, ne quis pius tutelæ administrator inscius eiusmodi iusticiæ, grauius impingat, & cōcitet in se furorem Dei uindictis pupillorum. Quamobrem cōstitutum est, ut integra hereditas pupillorū per ordinatos ē senatu uiros diligenter conscripta & obsignata in prætorio con-

C ij

seruetur, & pupillis ex ea de honesta  
educatione subueniatur. At si quis ex  
tra hanc ordinationem testamēto scri  
ptus sit tutor, absq; autoritate senatus  
nullo modo tutelam administret, nec  
bona pupillorum, nisi prius per magi  
stratum conscripta, in potestatem ac  
cipere audeat. Cū autem tutoris præ  
cipuū officium sit, ne indefensum pu  
pillum relinquat, minime uidetur de  
fendi, cum non sit nomine illius, quod  
quilibet paterfamilias idoneus in re  
bus proprijs faceret. De omnibus er  
go quæ tutor fecit, cum facere non de  
beret: item de his quæ non fecit, præsta  
bit dolum & culpam, & quantam in  
suis rebus diligentiam. Quod si  
pupillus ætate metu, vel calliditate tu  
toris circumscriptus, inciderit in capti  
onem, causa cognita à iudice in inte  
grum restituatur. Nam cum pupillus  
ex nullo contractu sine tutoris autori  
tate obligari possit (quoniam iuxta re  
gulā iuris. Pupillus nec velle nec nolle  
in ea ætate creditur) nulla æquitatis ra  
tio permittit, ut in rem suam tutor au  
toritas

toritatem accommodet, quô cum al-  
terius detrimento & iniuria fiat locus  
pletior. Nec uero recte faciunt, qui pu-  
pillis bonæ indolis impensas ad insti-  
tutionem & necessaria studia prætex-  
tu fidelioris dispensationis denegant,  
& fingunt sese illis integras conserua-  
turos opes ad tempus, quo illis minus  
indigebunt. Verum utcunq; ista con-  
tingant, officio tutoris incumbit, ratio-  
nes actus sui pupillo præsentibus ordi-  
natis magistratibus reddere, quorû iu-  
stam sententiam absq; voluntate pu-  
pillorum per verecundiam aut timo-  
rē extorta, ratam haberi decernimus.  
Nec permittendum tutori, tantum in-  
rationibus reputare, quantum impen-  
dit, si plus quàm opus fuit, inutiliter  
impenderit; sed ut solum id recuperet  
quod præstare debuit. Quod si qua  
iusta causa suspectus tutor fuerit, de-  
bet per magistratum à tutela remoue-  
ri, & tutela alijs bonæ fidei uiris com-  
mendari.

DE LIBERTATE  
CHRISTIANA.

C iij

Postremo qualis sit ratio Christianæ  
libertatis, ex multorū testimonijs non  
potest esse ignotum ijs, qui ueritatem  
diligunt. Quod tamen nonnulli calū  
niantur nos licentius egisse in ijs, quæ  
non modò sunt libera, uerumetiam à  
Deo ipso instituta, sciant post hac &  
persuasum habeant, quod ab ecclesia  
catholica & orthodoxa fide, atq; ipsa  
euangelicæ ueritatis doctrina in nullā  
partē declinauimus. Nā quod de ma-  
trimonio sacerdotū inaniter obijciūt  
& criminātur, cu etiā ipsorum senten-  
tia matrimonium numeretur inter sa-  
cramenta. Sacramentum non potest  
esse aliquid malum, igitur ijs qui conti-  
nere non possunt, potius erat præcipiē-  
dum quā prohibendum. Præcipue  
quod Apostolus 1. Timoth. iij. uocat  
doctrinas demoniorū, quæ prohibent  
contrahere matrimonium, et iubēt ab-  
stinere à cibis, quos Deus creauit ad  
sumendum cum gratiarum actione fi-  
delibus, & ijs qui cognouerunt uerita-  
tem, Quoniam quicquid creauit De-  
us, bonum est, et nihil reiiciendum, si-  
cum

cum gratiarum actione sumatur &c.  
Dies festos propter multiplices abus<sup>9</sup>  
in angustum contraximus, obserua-  
tis tamen omnibus h<sup>is</sup>, qui in ecclesia ge-  
nerali ob historias in sacris literis com-  
prehensas sunt recepti. Proinde nemo  
nos ulterius iudicet in cibo aut potu,  
aut in parte diei festi &c: que sunt um-  
bra rerum futurarum, & obseruatio-  
nes iudaicæ: Quoniam iuxta præcep-  
tum diui Pauli, in libertate qua Chris-  
tus nos liberauit stabimus, et minime  
iterum iugo seruitutis subiiciemur, ne-  
que curabimus inuidos hypocritas, qui  
claudunt regnum coelorum coram ho-  
minibus, ipsi non ingrediuntur, & in-  
gredi cupientes prohibent. Satis hacten-  
us propter infirmos, uel potius incre-  
dulos & obstinatos a nobis est cuncta-  
tum. Quod si nunc tandem fideliter  
admoniti in incredulitate sua iacere  
perseuerauerint, obstinatum infirmis-  
tatem ipsorum haud ultra duximus ex-  
pectandam: Sed omnem plantationem  
quam non plantauit pater coelestis, era-  
dicabimus, sicut eradicata est in alijs

C v

p̄iis ecclesijs, à quibus deflectere nō est  
necessarium: quoniam certum est, nul  
lam humanam constitutionem obli  
gare quenqua sub poena æternę dāna  
tionis. Furor autem & indignatio ad  
uersus omnem animam ordinationi  
diuinę contradicentem.

Hortamur itaque omnes, in quorū  
manus hæc scripta inciderint, & obte  
stamur per aduentum domini nostri  
Iesu Christi, & salutem animarū sua  
rum, ut neglectis impiorum obtrecta  
tionibus causam nostræ religionis dili  
gentius perpendant atq; examinent.  
Timeant Deum, et dent illi honorem,  
quoniam adest hora iudicij eius, quo  
perfidos aduersarios præceptorum su  
orum, & sacrilegos murmuratores, cu  
pidos redire ad ollas carniū Aegyp  
ti, exterminabit & computrescere faci  
et in deserto, & excitabit sibi nouū po  
pulum, quem gloriosissime introdu  
cet in requiem suam, eo quod credide  
runt uerbis eius, & in ujs eius manse  
runt, nec iuerunt post inuentiones ho  
minum, sicut patres eorum, qui obdu  
rauerūt




rauerunt corda sua, & causã suam per  
tinaciter iustificauerunt contra altissi  
mum, ac Deo nouos cultus contra præ  
ceptum eius ausi sunt uiolenter obtru  
dere, quos ille non respicit neq; curat,  
qui se dixit frustra coli doctrinis ac  
mandatis hominum. At si quis sermo  
nem Christi seruauerit, mortem non  
videbit in æternum. Qui autẽ ex Deo  
est, uerba Dei audit. Oues Christi vo  
cem eius audiunt & illum sequuntur:  
alienos autem non sequuntur: sed effu  
giunt ab eis, quia non nouerunt vocẽ  
alienorum, qui à semetipsis loquentes  
nihil aliud quã prouentum & glori  
am propriam quarunt. Caueant itaq;  
omnes ab eiusmodi pseudoprophe  
tis & videant, ne uoluntaria socordia  
cæci à cæcis ducibus per uiam latã &  
spaciosam pertrahantur in foueã, unde  
nulla erit redẽptio. Neq; em̄ excusa  
tio ignorantiæ restabit seruo, qui nesci  
uerit uoluntatẽ dñi sui, multo minus  
ei qui scire noluerit, aut facere contu  
maciter recusauit. Nos presentibus  
scriptis palam testamur, quod aliorũ  
gratia isto negotio nihil posthabuim⁹

Et licet quædam leuiora quam conue-  
niebat, hic uideantur inserta, quædam  
etiam breuius & imperfectius explica-  
ta, si tamen quispiam cæteras religio-  
nis ac ceremoniarum quisquiliâs in ec-  
clesijs reformatis iam olim abrogatas  
plenius cognoscere uoluerit (quando  
quidem ecclesiasticam ordinationem  
VVittembergensium potissimum se-  
cuti sumus) ex doctissimis illorũ  
scriptis rationem omnium in-  
telliget. Si quis quere-  
re ac resipiscere neg-  
lexerit, sanguis  
eius sit super  
eum.

F I N I S.

VITTEMBERGAE PER  
Iosephum Klug, Anno  
M.D.XLIII.











70  
5297 1/2

X 2207632







# REFORMA

TIO ECCLESIAE CO  
RONENSIS AC TO  
TIVS BARCEN  
SIS PROVIN  
CIAE.

CVM PRAEFATIONE  
PHILIPPI MELAN  
THON.

1913 9 12 89  
VVITTEMBERGAE

ANNO. M. D. XLIII.

Ex  
*Bibliotheca*  
*Ministerii*  
*Cellenfis*

